

COMMISSIO DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM

DE ECCLESIA

* * * * *

ARCHIVO CONCILIO VATICANO II

P. JORGE MEDINA E.

CARPETA E. I. 1.....No. 5.....

REFERENCIAS.....

Textus propositus ab Em.mo D. Card. SILVA HENRIQUEZ:

Cap. I: DE MYSTERIO ECCLESIAE SIVE DE EIUS NATURA ET FINE

a 1. [Ad Patrem]. Ecclesiam Dei peregrinantem in terra (1) ad
b Patrem, in Filio, per Spiritum Sanctum Concilium secundum voluntatem
d Dei notum facere omnibus gentibus (3), eius consciens facere
christianos atque proponere fratribus separatis ut eam tamquam suam
recognoscant.

e Creavit (4) eam Deus libera (5) ac benigna (6) dispositione
f Sapientiae suae (7) ex aperto latere Iesu (8) novam et veram Evam (9)
et adduxit eam (10) ad Filium suum tamquam sponsam immaculatam (11)
ut Illi coniungeretur matrimonio unico et indissolubili atque ita
fieret mater viventium (12).

g Ipsa est regnum Dei huius mundi (13) in quo praeparatur adven-
h tus regni aeterni (14) et revelatur gloria eius (15). Ex semine mi-
nimo crescit et fit arbor ita ut homines plurimi habitent in eo (16),
et generi humano inest tamquam fermentum donec fermentatum sit to-
tum (17).

i Sicut sagena missa in mare congregat bonos et malos usque ad
consummationem saeculi (18); affligitur peccato seminato ab Inimi-
co (19), atque gemit exspectans aetatem plenitudinis Christi (20).

j Ecclesia est civitas Dei (21) in terra, ex reliquis veteris Ie-
rusalem orta (22) atque accedens ad Ierusalem caelestem (23), tem-
plum spirituale (24) ac domus Dei (25) quae aedificatur super funda-
mentum Apostolorum ipso summo angulari lapide Christo Iesu (26), et
k in qua populus novus (27) cum Deo reconciliatus (28) tamquam sacer-
dotium sanctum (29) ferens totam creationem (30) offert Deo gloriam
l et honorem (31), clamans: Pater! (32).

a 2. [In Filio]. Ecclesia est mysticum (33) corpus Christi. In hoc
titulo continetur revelatio (34) dispensationis mysterii Dei (35),
scilicet supereminens scientiae caritatis Christi (36). Nam mys-
ticum corpus Christi praeprimis est mysterium dilectionis atque
unitatis.

c Ecclesia dicitur corpus Christi quia ut nova Eva unum corpus est
cum Christo novo Adam; sunt duo in corpore uno (37); ipsa dicitur
corpus eius sicut uxor corpus est viri si quidem viri debent dili-
gere uxores suas ut corpora sua, et qui suam uxorem diligit seip-
sum diligit(38). Ecclesia nihil est in seipsa, tota est in Chris-
to; de carne et ossibus eius desumpta (39) omnia accipit de pleni-

c (*) Adde: mysterium absconditum a saeculis, nunc autem manifestatum(2)
vult Sanctum Concilium

tudine eius (40); imo ipsa est plenitudo Christi (41) quia in ea revelantur investigabiles divitiae Christi (42). Vitam habet in Christo (43), in eo manet (44) et fert fructum (45) sicut palmites in vite (46).

d Procedit Ecclesia continuo ex amore Christi quia Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret mundans lavacro aquae baptismatis in verbo vitae Evangelii et exhiberet eam gloriosam, sanctam et immaculatam (47) atque in perpetuum nutrit et fovet (48) eam verbo Dei et pane vitae (49).

e Hac dilectione efficitur Christus vir perfectus (50) atque constituitur ut novus homo (51). Novum hominem hunc quem ignorantibus (52) quaerunt multitudines hodiernae, renovatum secundum Imaginem (53) Dei veram et principium novi generis humani (54), induit Ecclesia (55) quae pariens filios Dei (56) valet exclamare: Possedi hominem per Deum! (57).

f Sed meminit Ecclesia monitionis Apostoli: Nolite mentiri ad invicem, expoliantes veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, scilicet viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis (58).

PATRIMONIO UC

g Recapitulatio (59) generis humani in Christo novo homines prae se fert etiam restorationem dominationis hominis in mundum secundum ordinem creationis (60). Deo complacuit per Christum et Ecclesiam reconciliare omnia in ipsum (61); ipsis tribuit virtutem pacificationis quae ad universam creaturam diffunditur (62).

h Corpore mystico Christi significantur etiam unitas atque communio in diversitate Ecclesiae. Sicut enim corpus unum est et multa membra habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus (62). Immo singuli alter alterius sunt membra (63) atque charismata quae habent differentia secundum gratiam quae data est eis (64) cooperantur in aedificationem (65) unius (66) corporis Christi, in cuius unitate ipsae nationes reconciliantur (67) imperfectis inimiciis in cruce (68).

j Ecclesia dicitur etiam corpus Christi quia formatur baptismo (69) quo assimilatur morti et resurrectioni corporis Christi atque perficitur communione corpori eucharistico. In Eucharistia enim non solum significatur sed efficitur unitas membrorum cum capite Christo et inter se (70), ita ut revera Ecclesia dici possit actu existere in hoc sacramento (71).

l Christus caput est Ecclesiae sicut vir caput est mulieris (72). Salvator Ecclesiae (73) dat ei vitam et ipsa pendet totaliter ab eo quia ab eo omnia accipit atque subiecta est ei (74). Christus auctoritatem habet in eam sed tota auctoritas eius est ex caritate ut inspireret, ordinat et coniungat operationem membrorum in augmentum corporis, id est in aedificationem sui in caritate (75).

m Auctoritas Christi capitum visibiliter exercetur in Ecclesia ab Apostolis eorumque successoribus tamquam ministerium in aedificatio-

nem eiusdem corporis Christi (76). Nam sicut Christus est petra angularis, ipsi sunt fundamenta (77) super petram principalem S. Petri eiusque successorum (78).

- a 3. [Per Spiritum Sanctum]. Anima Ecclesiae est Spiritus Sanctus (79). Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda nostra (80), ut in eo accessum haberemus ad Patrem (81).
- b Ipse est Spiritus vitae (82) novae creationis, aqua viva saliens in vitam aeternam (83), quae mortuos peccato resuscitat cum Christo (84).
- c Ipse est de quo dixerunt Prophetae: "Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis et operemini" (85), atque "hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum" (86).
- d Spiritus Sanctus per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam (87) atque eam perpetuo renovat (88). Nam lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit eam a lege peccati et mortis (89). Sed caro concupiscit adversus Spiritum: spiritus autem adversus carnem (90). Qui autem sunt Christi carnem suam crucifierunt cum vitiis et concupiscentiis. Qui autem Spiritu vivunt, Spiritu et ambulant (91) et faciunt fructus Spiritus qui sunt: caritas, gaudium, pax, modestia, continentia, castitas (92).
- e Sed Spiritus replevit orbem terrarum (93) et mittit Ecclesiam (94) prophetare gentibus et populis et linguis et regibus (95), sicut significavit in die Pentecostes (96) baptismo spiritus (97) quem acceperunt Apostoli. Spiritus Sanctus virtutem dat Ecclesiae (98) ut prae dicet Iesum Christum et hunc crucifixum (99), et cum fiducia (100) testimonium reddat (101) coram hominibus. Idem Spiritus impellit apostolos ut longius procedant (102) usque ad ultimum terrae (103). Fides autem quae oritur ex auditu (104), non est in sapientia hominum sed in virtute Dei (105), non in sermone tantum sed et in Spiritu Sancto (106) qui excipere facit verbum (107). Sic ex virtute Spiritus (108) omnes verbo et baptismo (109) recipiunt eundem Spiritum (110).
- f Sicut anima Spiritus Sanctus unitatem facit corporis Christi (111). Ex eodem enim Spiritu procedunt diversitas et unitas charismatum et ministeriorum. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus (112). Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult sed ordinans omnia (113) in aedificationem unius corporis (114).

Monet autem Apostolus: solliciti sitis servare unitatem Spiritus in vinculo pacis cum omni humilitate et mansuetudine cum patientia supportantes invicem in caritate (115).

g Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia (116), illic etiam pignus hereditatis nostrae futurae. (117).

h Spe enim salvi sumus et per patientiam exspectamus (118). Omnis creatura ingemiscit et parit usque adhuc. Non solum autem illa sed et nos ipsi qui primitias Spiritus habemus, et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes (119). Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (120). Nam Spiritus et sponsa dicunt: Veni, Domine Iesu! (121).

* * * * *

